IOSEPHUS FLAVIUS

Zwettl 4. Viertel 12. Jh.

Seite 59r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31636
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

instantibus; dicens ordinatum a deo regem occidere esse
nimis iniquum. licet ille sit malus ut nec iram que
ei penam oportuno tempore a deo qui ei prebuit regnum
retinuit impetum eum uolentium occidere. et pro signo
cum potuisset eum interimere se potius abstinuerit.
sumens eius lanceam et urceolum aque appositum dormi-
enti saul nullo sentiente in exercitu. cunctisque
iacentibus latenter egressus est. cum omnia facere po-
tuisset que et ipsum tempus offerret et contra regem di-
gna presumptio suaderet. Transiens vero torrentem et in
verticem montis ascendens. unde potuisset audiri.
clamans uoce magna militibus saul et abner prin-
cipem milicie excitauit a somno. Hunc enim uoca-
bat ex proprio nomine. Audiente vero principe milicie et requi-
rente quis eum uocasset dauid ait. Ego sum filius quidem
iesse uir vero fugitiuus. Cur inquit cum sis magnus et
apud regem precipuus honore corpus eius ita custodis.
ut somnus sit tibi dulcior quam illius salutis effectus.
Hec quippe digna morte sunt atque supplicio. Dudum
enim ingressus est quidam in nostrum exercitum. super regem
et super alios uniuersos. et non agnouistis. Quere lan-
ceam regis et urceum aque et cognoscis quantum ma-
lum uos latuit intrinsecus constitutum. Saul autem
cognoscens dauid uocem et uidens quia dum eum cap-
tiuum habuisset sopore confectum custodibus negligen-
tibus non occiditur; sed pepercit ei quem iuste perimere potuis-
set. pro salute sua gratias egit et rogauit ut confidens
nichilque a deo mali metuens iret ad propria. affirmans
credere quod nec semetipsum aliquis ita diligeret sicut dauid
saul amaret et accusans se ipsum quod eum quidem qui
illum custodire posset. et multa indicia circa eum
sui fauoris ostenderet persequeretur iniuste et tan-
to tempore dubitantem de anima sua degere in fu-
ga compelleret ab amicis et cognatis propriis desola-
to. ipse vero a deo sepius liberatus non quiesceret saul
cum eius animam apte desideraret auferre. Quo facto
dauid iussit ut aliquis ueniens tolleret lanceam et
urceum aque dicens. Deus utriusque nostrum et actuum iudex
sit qui nouit quod etiam presenti die cum occidere po-
tuissem tui misertus abstinui. Et saul quidem secundo
dauid manus effugiens. ad regnum proprium remeauit.
Metuens autem dauid si permanens ibi aliquando in saul
manus incideret. decreuit in palestinos descen-
dere et illic habitare. Tunc cum sexcentis qui erant
circa eum uenit ad achis regem geth. Erat autem hec
una palestinorum urbium. Cumque eum rex suscepis-
set cum uiris et habitaculum prebuisset habente eo
simul et duas uxores. achinoem et abigail mora-
batur in geth. Saul autem hec audiens ulterius uolunta-
tis non fuit ut mitteret super eum. aut ipse forsitan
properaret cum secundo tali pena periculum pertulerit ut
ab illo potuisset potius comprehendi. Porro dauid
non placuit ut in ciuitate geth habitaret sed roga-
uit quod eum clementer exceperat ut ei locum aliquem in
prouincia donaret ubi cum suis degere potuisset pu-
dore esse dicens ut in ciuitate maneret se ei one-
rosum existere. Cui dedit rex quendam uicum sicelech
nuncupatum. Quem uicum ita dilexit ut cum regnas-
set dauid eum et ipse et eius pueri quasi possessionem
primam honorarent sed de his quidem in alio loco di-
cemus. Tempus itaque quod commoratus est dauid in sicelech
palestinorum. fuit mensium iiii. et xx. dierum. Unde
latenter insurgens contra palestinos in uicina
regione constitutos serritas et amalechitas eorum
prouinciam deuastaret. multaque preda iumentorum atque
camelorum sumens reuertebatur ad propria. ab hominibus
abstinebat metuens ne eum indicarent ad regem
partem tamen prede ei domum mittebat. Cum vero require-
ret quos uastasset predamque tulisset. dicente eo
qui ad austrum iudeos conuersantur et in campestribus
habitabant se esse depopulatum. satisfecit regi.
sperabat enim quod dauid odio haberet propriam gentem
et seruus eius foret donec apud eum consisteret.
Eodem vero tempore palestinis contra israhelitas
pugnare uolentibus et mittentibus ad omnes
amicos ut eis adessent in bello. in sela con-
gregati erant exituri super hebreos animus sibi.
achis rex geth dauid rogauit ut cum suis arma-
tis uel solacium contra hebreos preberet. Illo vero gratis-
sime permittente et dicente inuenisse tempus in
quo eius beneficiis rependeret et susceptionis mu-
nus exsolueret. permisit rex custodem sui corporis
post uictoriam et belli certamen eum se esse facturum. hono-
re et fidi permissione uolens uoluntatem eius augere.
Saul itaque rex hebreorum omnes diuinos et uentrilo-
quos. et omnem huiusmodi artem de sua expulerat
regione absque prophetis. Audiens autem palestinos iam
esse presentes. et iuxta summa ciuitatis in campo
posita castra fixisse. ad eos cum omni exercitu profe-
ctus est. Cumque uenisset ante montem quendam nomine
gelboe et uidisset e diuerso hostium multitudinem
timoris fortuito conturbatus est. Deum esse eorum exercitus